

1645.

1. Carpzov, Benedichus: De jure & ac privilegiis Sirenum
Saxoniae principum Electorum et Ducum Saxoniae de
non appellando.
2. Carpzov, Benedichus: Vin D'écie Juridico-politicae
Theologorum Lutheravorum ab enormi crimine
laesae majestatis, exserto Romani Pontificis
anti-christianitas, ipsis calumniose imputata
a Joh. D. Wingeardus.
3. Wirth, Polycorpus: Juris studiorum, eclogae II.

1646.

1. Carpzov, Benedichus: Resolutio succincta legum
in pandectis Trium difficultatinarum.
2. Carpzov, Benedichus: De donatione bonorum « habitibus »
sive geracie Saxonicae.
3. Puchlerus, Frid: De finium regundorum actione
(Defect).

1646

4. Mosbachius, Samuel: De nobilitate susceptionis
et prescriptionis materia
5. Romanus, Franciscus: De testamentis. Disputatio juridi-
ca continens definitionem, divisionem et causam effi-
cientem.
6. Schacher, Augustinus: De pecunia castrensi

1647

1. Carpzov, Benedictus: De modis et causis feudum
ad amittendum.
2. Carpzov, Benedictus: De jure, quod ex feudo com-
petit vasallo.
3. Gerselius, Thomas Tobias: De conscientia publica
4. Happianus, Johannes: Programma, quod ad lectionem
publicam in iuribus.
5. Michael, Franciscus, Coll. med. & chirurg. et. prof. therapentice
l. s. d. Programma, (quod ad orationem publicam invitatum)

1647,

6. Philippus, Johannes : Generalia de oblationibus
7. Waltherus, Johannes : συντομοίον γινώσκοντων
nutritiones physicae varios missus extitens
8. Welschius, Christophorus ; Fac. med. prof. publ. : Programm,
(quod ad orationem auspicalem imitatur).

1698

1. Bartholomaeus, Johannes et. Bartholomaeus, Michael.
De paridicalatione
2. Heylandt, Jacob : De salis conducta.
3. Michael, Johannes : De phrenitide.
4. Sachs, Philippus Taubus : Ansgewandte
Arztwissenschaft
5. Schreindenderffer, Georgius Tobias : De praescriptio-
nibus.
6. Strauchius, Johannes : De indutis.
7. Volckmar, Hieronymus : De jure aetatis
8. Wagner, Paulus : Inspecatio regiae : necesse
non habet legem.

1648.

9. Waltherus, Johannes: De lapidibus in genere.
10. Wirth, Polycarpus: De fide.

1649.

1. Flappius, Johannes: Διακρισις γυσιολογιακη κα
πατολογικη' ventriculi humani.
2. Flappius, Johannes: De phthiri.
3. Langen, Christiaan: De morbo castrensi seu Hun
garica
4. Michaelis, Josanus: De varis seu an thridide
vega scorbatica.
5. Ritker, Samuel: De appellacionibus 2 Sampl
6. Rivinus, hincius: De duello.
7. Wirth, Polycarpus: Quaestiorum juridicorum 2cc

1773. 89.
1647, 12 12

In Nomine Jesu Christi!
Disputatio Feudalis Septima;

De
JURE, QUOD EX FEUDO 18.
COMPETIT VASALLO,

Quam
Cum Semidecade Quæstionum.
Ex Tit. 14. 15. 16. & 17.

AUREÆ BULLÆ IMP. CAROLI IV.

Consensu Amplissimi Jctorum Ordinis in Academia
Lipsiensi,
Sub Præsidio

DN. BENEDICTI CARPZOV, J. U. D. Consilarii
Electoralis Saxonici & Facultatis juridicæ

Ordinarii,
Publica disquisitioni subjicit
Frans Heinrich Wisendorff/

Ad diem 1X. Septembr.
In Auditorio Jctorum Petrino,
horis consuetis.

LIPSIÆ,
Typis Henningi Cöleri, Anno 1647.

Mons. Smith.

3

1711. GHOE EX 1711

Exemplar des Originals

1711. GHOE EX 1711

1711. GHOE EX 1711

1711. GHOE EX 1711

1711. GHOE EX 1711

1711. GHOE EX 1711

1711. GHOE EX 1711



In Nomine Jesu Christi!

Disputatio Feudalis Septima,

De

Jure, quod ex Feudo competit Va-
sallo.

POSITIO I.



Xpositis constituendi & acquirendi feudi modis, proximum nunc esse videtur, ut agamus de jure feudi jam constituti & acquisiti, cum omnes omnino hominum actus ita sint comparati, ut eorum possit esse usus aliquis, atque ex usu utilitas. Quod idem in omni hoc negotio, quod inter Dominum & vasallum agitur, per se manifestum est; Utriusque enim & vasalli & Domini ex hoc frus est usus, sua utilitas, ut vel ex sola feudi descriptione Oberti de Orto *in tit. 23. lib. 2. F.* intelligi potest, Vult. *de feud. lib. 1. cap. 10. in princip.* Rittersh. *in partit. feud. lib. 2. cap. 1. quest. 1.*

II.

Agamus autem primò loco de jure, quod ex feudo competit vasallo: Hoc consideratur vel ratione usûs, vel ratione dispositionis rei feudalis, Vult. *diç. cap. 10.* Ratione usûs vasallus rei ipsius feudalis quasi dominium habet, quod vulgo vocant dominium utile, id quod haud obscuris verbis exprimit Feudista *in tit. 8. §. rei autem. lib. 2. F.* quando scribit: Rei autem per beneficium recte investitæ vasallus hanc habet potestatem, ut tanquam dominus à quolibet possidente queat eam quasi vindicare, *arg. h. ff. si ager veçtig. junct. l. 23. ff. de R. V.* Rittersh. *de feud. lib. 2. cap. 2. quest. 2.* Schenck Baro à Tautenberg *ad tit. 23. §. fin. num. 9. lib. 2. F.* Matth. de Afflicis *in præl. feud. num. 61.* Duar. *de feud. cap. 12. num. 1.* Wefembec. *de feud. cap. 9. §. 10. num. 4.* Vult. *diç.*

A

diç.

dict. cap. 10. n. 18. Diss. Borch. in comm. feud. cap. 1. num. 13. Cujac. in tit. 5. lib. 1. Feud.

III.

Directum verò dominium rei feudalis sibi retinet Senior; etiam in rebus singularibus feudo subjectis, cum hoc ita concedi soleat, ut proprietas rei maneat apud concedentem, *tit. 23. in fin. lib. 2. F. in tantum*, ut nec pacto aliud effici possit, *dict. tit. 23. § tit. 8. §. quamvis. lib. 2. F. Ruding. lib. 2. var. lect. feud. cap. 31. Matthi de Afflict. in prelad. feud. num. 57. Diss. Zasius in Epit. feud. part. fin. n. 33. Duar. de feud. cap. 2. n. 8.*

IV.

Præter utile dominium; possessio etiam rei feudalis com̄petit vasallo, *tit. 7. in fin. tit. 8. §. 2. tit. 22. tit. 26. lib. 2. F. Rittershus. in partit. feud. lib. 2. cap. 2. quæst. 2.* At qualisnam illa: civilis, an verò naturalis? Existimant Menoch. *1. remed. recup. possess. n. 90. & remed. 3. retin. poss. num. 82. Guerrin. Pilo Soaz in prelad. feud. cap. 21. num. 3. Rosenthal in Synops. feud. cap. 8. concl. 1. num. 11. vasallum tantum naturaliter rem feudalem possidere: Sed rectius vasallo rei feudalis possessionem tam naturalem quam civilem tribuit post Bartol. in l. naturaliter. 12 ff. de acquir. possess. Rittershus in dict. cap. 2. quæst. 2.*

V.

Num autem hæc possessio in hæredes vasalli continuetur ipso jure, sic, ut opus non habeant de novo eam apprehendere; quaritur? Distinguunt vulgò inter suos hæredes & extraneos; ita ut in illos, sicut dominium, ita quoque possessio ipso jure continuetur, eisque sine novâ apprehensione acquiratur: In hos verò non item, Coras, *6. miscell. 12. Duar. de liber. & postb. cap. 3. Wesemb. de feud. cap. 8. num. 5.* Verùm, ne quidem in suos hæredes possessionem ipso jure transire, sed illorum demùm apprehensione ipsis acquiri, communis & vera est opinio, *l. 23. ff. de acq. vel amit. poss. Forst. in tract. de success. lib. 2. cap. 4. Goedd. ad l. 24. ff. de V. S. n. 19. Covarr. l. 3. var. resol. §. n. 6. Viglius Zuichemus ad §. sui autem. Inst. de her. qual. & differ.*

VI.

Ratione usûs porro competit vasallo jus & facultas percipiendi.

piendi ac suos faciendi fructus, quoniam ad hoc feudum datur,
ut vasallus ex fructibus ejus sese exhibeat, & servitia præstet Do-
mino, quæ plerumque sunt militaria & magnos requirunt sum-
ptus, *tit. 23. in fin. tit. 28. §. his consequenter. tit. 45. & tit. 55. §. fir-
miter. lib. 2. F. Rittersh. in dict. cap. 2. quest. 2. Sonsbec. de feud.
part. 10. n. 9. Wesemb. de feud. cap. 9. §. 10. n. 15.* Et cum usufru-
ctarius simplex quosvis indifferenter fructus acquirat, tam na-
turales quam industriales, & tam perceptos atq; collectos quam
consumptos; multo magis hoc dicendum erit de vasallo, qui
plus est quam simplex usufructuarius, *tit. 8. §. rei autem lib. 2. F.
Sonsbec. dict. part. 10. n. 10. Rittersh. dict. cap. 2. quest. 2.*

VII.

Hinc difficilis suboritur controversia de thesauro invento
in prædio feudali, cum enim & hic videatur commoditas quæ
dam & fructus prædii, non injuriâ quaritur: Cuinam ille cedat?
Joan. Niell. in *dist. feud. n. th. 6. lit. f. Rosenthal de feud. cap. 5.
concl. 93. & Wesembec. de feud. cap. 12. num. 6.* ita distinguunt, ut
si quidem extraneus thesaurum invenerit, dividi debeat inter
vasallum & inventorem: si verò vasallus; totus ei adquiratur.
Sed arbitramur, thesaurum casu fortuito inventum sive à tertio
sive ab ipso vasallo, inter Dominum feudi & inventorem divi-
dendum fore: Ab ipso verò Domino inventum, ei in solidum
adquiri, *arg. tit. 23. lib. 2. F. junct. §. thesaurus. Inst. de rer. divis. l. 63.
ff. d. A. R. D. Harpr. ad §. thesaurus. 17. & seq. Inst. de rer. div. Bocet.
de qual. & diff. feud. cap. 4. n. 10. Gilken. in prælud. tit. de rer. divis. n.
57. & ad d. §. thesaurus. n. 29.*

VIII.

Fructuum autem ex feudo perceptorum vasallus plene ju-
re efficitur Dominus, ita, ut pro suo arbitrio illos vendere, op-
pignorare, distrahere, atque de illis quoecunque modo dispone-
re possit, uti de rebus suis permissum est domino, *in re manda-
ta. c. mandati*, quoniam intentio ipsius Domini feudum conce-
dentis hæc fuisse intelligitur, ut vasallus ex feudo fructus perci-
peret, ex illisque pecuniâ redactâ, eò melius onera & servitia
exequi & sustinere valeret, *arg. tit. 45. lib. 2. F. Curt. Jun. de
feud. part. 4. num. 106. Borch. de feud. cap. 8. num. 58. Mynsing.*

cent. 4. observ. 86. num. 5. Hartm. Hartmanni ab Eppingen. lib. 2.
pract. obs. tit. 5. 4. obs. 40. num. 11. Gail. 7. obs. 117. n. 7. Diss. Vult. de
feud. lib. 1. cap. 10. n. 58.

I X.

Non saltem verò jus percipiendi fructus, sed & facultas lu-
erandi incrementa rei feudalis vasallo acquiritur; ita, ut quic-
quid interrim fundo feudali acereverit accesseritque, hoc vasallo
cedat, præterquam si fundus fuerit limitatus, in quo jus accre-
scendi sibi locum non vindicat, l. in agris. ff. de adquir. rer. dom.
Aut nisi dominus receperit aliquid, vel sibi reservaverit in præ-
dio feudali, tit. 4. §. si quis. lib. 1. Et aut vasallus ipse quid adjecerit
fundo feudali, quod per se subsistere possit, tit. 8. §. econtrario. lib. 2.
F. Vid. Schenck Baro. ad dist. tit. 4. §. 5. & ad dist. tit. 8. §. econtra-
rio. Rittersh. in partit. feud. lib. 2. cap. 2. quest. 3. 6. & 7. Schneidw.
in Epit. feud. part. 4. n. 81. & seq.

X.

Et quamvis quidam distinguant inter incrementum latens
& apparens, ita, ut illud solum spectet ad vasallum, hoc vero ac-
cedat Domino feudi directo, arg. l. item si fundi. §. 4. ff. de usufru.
Attamen quia textus de incremento rei feudalis loquentes nul-
lam hujus distinctionis mentionem faciunt, non facile recipi-
enda erit, Rittersh. in dist. cap. 2. quest. 3.

XI.

Querunt hic Interpretæ: An pro eo, quod fundo feudali
accessit, vasallus teneatur Seniori plura & majora servitia præ-
stare? Ad quod benè responderet post Ludolph. Schrad. in tract.
feud. part. 5. cap. 6. num. 28. Rittersh. dist. cap. 2. quest. 5. non auge-
ri per hoc servitia feudalia, quandoquidem id quod hòc modò
jure incrementi vasallo acquisitum est, non tam liberalitate Do-
mini quàm fortunæ beneficio obvenisse intelligitur.

XII.

Ex feudo præterea consequitur vasallus jus & facultatem
actiones exercendi, quæ feudi nomine competunt, easdemque
excipiendi, etiam Domino absente & ignorante, ita, ut sive ob-
tineat, sive causâ cadat, nihilominus Senior teneatur id omnè
quod vasallus bonâ fide egit, ratum habere, id quod claris &
ma-

manifestis verbis testatur Feudista in tit. 26. §. si vasallus de benefi-
cio. tit. 8. §. Rei autem. Et tit. 43. lib. 2. F. Rittersh. in part. feud. l. 2. cap.
2. quest. 16.

XIII.

Pari etiam modo conceditur vasallo, in feudo feudi Dominò
de feudo transigere, *dict. tit. 26. §. si vasallus de benef. lib. 2. F. Rit-
tersh. dict. cap. 2. quest. 17.* Quod an ita etiam fieri queat, ut præ-
dium quod possidet feudale, aliquo vicissim acceptò, dimittat?
controversitur: Communis est Feudistarum opinio, vasallum,
ignorante Dominò, de re feudali cum tertio decidendi solum
causà, hoc est, ita transigere posse, ut ipse vasallus rem feudalem,
quam tenet, retineat, aliquò datò vel promissò adversariò, vel
ut eandem ab adversario accipiat, non verò ut ipse vasallus ali-
quo accepto eam adversario relinquat aut cedat, Rosenthal *de
feud. cap. 9. membr. 1. concl. 21. num. 2.* Borch. *in tract. feud. cap. 8.
num. 44.* Duar. *de feud. cap. 12. num. 10.* Sonsbecq. *part. 12. num. 92.*
Zaf. *in Epir. feud. part. 9. num. 19.* Sed nos cum Schenck Baron. *in
tit. 26. §. si vasallus de benef. Et tit. 43. lib. 2. F. Vult. de feud. lib. 1. cap.
10. num. 89.* & Hunn. *in tract. de transaction. cap. 2. ex. 6.* existima-
mus, transactionem vasalli de feudo ratam esse, licet aliquo ac-
cepto illud adversario cesserit, *per tit. 26. §. si vasallus de benef. tit.
43. lib. 2. F.*

XIV.

An autem vasallus feudi nomine in arbitrum compromit-
tere, & consensu adversarii judicem eligere possit, qui suà sen-
tentià finem controversiæ feudali imponat? intricatæ est que-
stionis: Plerisque arridet negativa opinio, Borch. *de feud. cap. 8.
num. 45.* Rosenthal. *dict. cap. 9. membr. 1. concl. 22.* Mozz. *de feud. in
tit. de nat. feud. num. 75.* Rittersh. *in part. feud. lib. 2. cap. 2. quest. 19.*
Sed quod imò vasallus in arbitrum possit compromittere etiam
sine consensu Domini, & compromisso Dominus nolens volens
stare cogatur, verius est, & nititur textibus expressis *in tit. 15. tit.
34. in pr. tit. 46. lib. 2. F. Vult. de feud. lib. 2. cap. 2. n. 3.*

XV.

Diximus hæc de jure, quod ratione usùs ex feudo corn-
pedit vasallo, Quod ad dispositionem rei feudalis attinet, scri-
bit

bit Feudista: E contrario autem si quid feudo à vasallo additum sit, si quidem tale adjectum sit, quod per se subsistere possit, id est, ut per se censetur ut prædium, id non accrescit feudo. Si verò per se non possit subsistere, ut servitus, plerisque placet feudo accedere, & sicut partem feudi disponendam esse, meliorem namque conditionem feudi facere potest vasallus, deterio- rem verò sine Domini voluntate, vel eorum Agnatorum ad quos per successionem pertinet, facere non potest, *tit. 8. §. e contrario, lib. 2. F.* Unde apparet, vasallum ita disponere posse rem feudalem, ut meliorem faciat, non autem deterio- rem: Servitutes itaque prædio feudali etiam ignorante Domino acquirere, & prædio jam ante constitutas vindicare valet, ac retinere, *dict. tit. 8. §. rei autem, lib. 2. Feud. Rittersh. part. 2. cap. 2. quest. 9.*

XVI.

Sed utrum eodem modo vasallus imponere possit servitutes prædio feudali? expeditum haut est: Etsi verò non desunt, qui negativam tueantur, Vult. *dict. cap. 10. num. 40.* Schenck Baro *in tit. 8. vers. quid ergo, lib. 2. F.* Curt. Jun. *de feud. part. 4. quest. 105.* Ruding, *lib. 1. var. lect. feud. cap. 21.* Veruntamen servitutes prædiales feudali prædio jure à vasallo imponi, sic tamen ut duntaxat vasallo, quamdiu feudum habet, noceant, Domino verò nihil præjudicent, verius est, & disertè probat *tit. 8. §. rei autem, lib. 2. F. & ibidem Cujac. Duar. de feud. cap. 12 n. 12.* Rosenthal *de feud. cap. 9. membr. 1. concl. 11. num. 1.* Wesembec. *de feud. cap. 11. n. 7.* Rittersh. *in partit. feud. lib. 2. cap. 2. quest. 9.* Borch. *de feud. cap. 8. n. 59.*

XVII.

Servitutem verò personalem usufructus vasallus prædio feudali imponere nequit, cum hoc modo Seniori præjudicaretur, si quidem vasallus feudi usufructum aliis constituens, per hoc sumpibus necessariis destitutus, Domino servitia amplius commodè præstare non posset, Vult. *de feud. lib. 1. cap. 10. num. 41.* Henricus à Rosenthal *de feud. cap. 9. concl. 10.* Sonsbec. *part. 12. n. 103.* Ruding, *lib. 1. var. lect. feud. cap. 46.* Curt. Jun. *de feud. part. 4. num. 106.* Schneidvv. *in Epit. feud. part. 7. num. 11.* Matth. Wesembec. *de feud. cap. 11. n. 5.* Jacobin. *de S. Georg. in verb. ii a etiam quod*

quod ipse vasalli. num. 13. Diss. Borch. de feud. cap. §. n. 64. Pinell. ad l. 1. part. 3. num. 71. C. de Bon. matern. Fach. 7. contr. 79. Vide & Rittersh. dict. cap. 2. quest. 11.

XIX.

Cæterum vasallus etiam rem feudalem alii locare potest, modo locatio non sit fraudulenta, tit. 9. §. donare. lib. 2. F. Rittersh. in dict. lib. 2. cap. 3. quest. 36. Vult. dict. cap. 10. num. 48. Et quamvis Schienck Baro ad dict. tit. 9. §. donare. num. 15. Zas. in Epitom. feud. part. 9. num. 12. Sonsbec. de feud. part. 12. n. 84. Borchs de feud. cap. 3. num. 36. Vult. dict. num. 48. distinguendum existimant inter locationem ad modicum tempus factam, & eam, quæ sit ad longum aliquod tempus, puta decem vel plures annos, ut hæc non valeat, illa verò subsistat; haut tamen probabilis videtur hæc distinctio propter generalitatem textus in dict. tit. 9. §. donare. Ruding. lib. 1. var. lect. feud. cap. 53. Rittershus. dict. cap. 3. quest. 36.

XIX.

Cum itaque dispositio Rei feudalis vasallo eatenus saltè permissa sit, quatenus meliorem reddit conditionem feudi, prout dictum, non verò deteriolem: consequens est vasallum feudum alienare non posse. Quod antiquissimo jure mirum non erat, siquidem vasallus non sibi sed Domino rem possidebat, neque in eo jus aliud quàm precarium obtinebat. At successu temporis jure Vasalli constitutò aliquanto firmitus, paulatim factum, ut vasallus id alienare posset, tit. 9. lib. 2. F. Hodie tamen optimà consuetudine interdicta est feudi alienatio, constitutionibus Imperatorum Lotharii & Friderici, tit. 52. & 55. tit. 9. lib. 2. F. Vult. dict. cap. 10. num. 44. Rittershus. in partit. feud. lib. 2. cap. 3. quest. 1.

XX.

Quid vero si vasallus vel fame vel magnà necessitate pre-matur, ane tunc valebit alienatio: Sanè Rittersh. in dict. cap. 3. quest. 6. & Menoch. de arbit. Jud. quest. lib. 2. cent. 2. cas. 182. existimant; si admodum urgens sit necessitas, cui nisi subveniatur per feudi alienationem, vitæ periculum immineret vasallo, liberis ejus, aut uxori, licitum esse vasallo etiam invito dominò feu-

feudum distrahere, sic tamen ut prius Domino denunciatur à vasallo, se feudum distracturum, si fortè Dominus emere velit: Quod etsi de jure antiquò forsitan concedendum fuerit, hodie tamen simpliciter feudi alienationem prohibitam rectissimè quis statuerit, per *dist. tit. 9. §. necessitate. & tit. 55. in pr. lib. 2. F. Schrader. de feud. part. 8. cap. 1. num. 21. Zasius in Epit. feud. part. 9. num. 13. Wefemb. de feud. cap. 11. num. 2. Curt. Jun. de feud. part. 4. quest. 16. n. 107.*

XXI.

Porro cum vasallo interdicitur feudi alienatio, intelligitur alienationis verbò, omnis actus, per quem feudum ad alium transfertur, aut ex quo alienatio feudi sequitur, *tit. 52. & 55. in pr. lib. 2. F. Duar. de feud. cap. 12. n. 6. Rosenth. de feud. cap. 9. membr. 1. concl. 6. in princ.* Igitur neque alteri donare potest vasallus feudum, *tit. 9. §. donare. lib. 2. F.* Neque in dotem aut propter nuptias dare; quamvis ipsa mulier si feudum habeat, marito suo illud dotis nomine donare valeat, propterea quod hoc casu feudum à vasallo non alienetur, quandoquidem jure naturali, rei-que veritate inspectà, mulier dominium retinere intelligitur, *l. in rebus. C. de jur. dot. tit. 13. & tit. 17. lib. 2. F. Zas. in Epit. feud. part. 9. num. 7. Rosenthal de feud. cap. 9. concl. 9. Vult. de feud. cap. 10. n. 46. Rittersh. in partit. feud. cap. 3. quest. 26. & seqq. Sonsb. de feud. part. 12. num. 79.*

XXII.

Neque etiam vendere feudum vasallo fas est, *tit. 55. in pr. lib. 2. F.* Quamvis enim existimet Duar, *de feud. cap. 12. num. 6.* simplicem venditionem feudi non prohiberi, eò, quod venditio perficiatur solò consensu, & feudum in alium non transferat, *l. 20. C. de pact. l. 3. ff. de O. & A.* Verùm cum venditionem necessariò sequatur traditio, §. *per traditionem. Instit. de rer. divis.* simplicem etiam venditionem feudi prohibitam censi, turò asserere licet, cum prohibito consequenti, intelligatur quoque prohibitum antecedens, Vult, *dist. cap. 10. num. 51. Borch. de feud. cap. 8. num. 35. Rittershusi, dist. cap. 3. quest. 18.* Idem de permutatione verum existimamus, *l. 2. C. de permus. l. 1. ff. eod. Zas. in Epit. feud. part.*

part. 9. num. 4. Rittersh. *diff. cap. 3. quæst. 22.* Jacob. de S. Georg. *in verb. & cum pacto de non alienando. num. 1.* Vult. *diff. cap. 10. num. 50.*

XXIII.

Sed utrum vasallus feudum in Emphyteusin concedere possit? valdè controversum est. Quod negandum existimamus, cum quævis alienatio feudi Imperatorum constitutionibus sit prohibita, *diff. tit. 52. & 55. lib. 2.* F. quâ proculdubio etiam datio in emphyteusin continetur, *tit. 9. §. donare. lib. 2. F.* Duar. *de feud. cap. 12. n. 3.* Jacobin. de S. Georg. *in verb. ita etiam quod ipsi vasalli. num. 8.* Horoman. *in lexic feud. in verb. libellarius.* Jacobus de Belviso *in tit. 55. lib. 2. F. & ibidem Alvarott. Ruding. lib. 2. var. lect. feud. cap. 49.* Borch. *de feud. cap. 8. num. 37.* Sanè ex generali consuetudine Germaniæ vasallos palcia, terras incultas & eremos feudales in Emphyteusin concedere, testatur Vult. *diff. cap. 10. num. 47.*

XXIV.

Prohibetur etiam Imp. constitutionibus vasallus feudum oppignorare, *tit. 55. in pr. vers. habito. lib. 2. F.* eò quod oppignoratio feudi sit species alienationis, debitore siquidem non solvente, creditor, ad cujus securitatem pignus datum est, illud distrahere, atque ex precio inde redactio sibi satisfacere potest, *101. tit. ff. & C. de distr. pignor.* Rosenthal *de feud. cap. 9. concl. 14.* Zaf. *in Epitom feud. part. 9. num. 6.* Rittersh. *diff. cap. 3. quæst. 38.* Quod & de hypotheca acceptum volumus; Nam & hæc species est alienationis, *l. fin. C. de reb. alien. vel non.* & generali pignoris appellatione continetur, *l. 1. in pr. ff. de pign. act. l. 12. §. 2. ff. de pat. Sonsbec. de feud. part. 12. num. 100.* Vult. *diff. cap. 10. num. 43.* Wesebec. *de feud. cap. 11. n. 5.* Rittersh. *in part. feud. lib. 2. cap. 3. quæst. 40.*

XXV.

Denique vasallo haud jus est feudum suum alteri in solutum dare, hoc est, creditori volenti pro pecuniâ solutionis gratiâ cedere, cum & datio in solutum species habeatur alienationis, & vicem venditionis obtineat, Rosenthal *de feud. cap. 9. concl. 7.* Vult.

Vult. de feud. lib. 1. cap. 10. num. 52. Borch. de feud. cap. 8. num. 47.
Rittersh. diff. cap. 3. quest. 23.

XXVI.

Diximus feudi alienationem prohibitam esse, quod intel-
lectum volumus de illa alienatione, quæ sit citra consensum eo-
rum, quorum interest feudum non alienari, aut absque permis-
sione juris feudalis. Etenim quin feudi alienatio cum consen-
su Domini & Agnatorum, quorum interest, subsistat, vix quis-
quam dubitaverit. Sed horum consensus in feudo saltèm pater-
no sive antiquo requiritur, tit. 39. lib. 2. F. Vult. cap. 10. num.
70. & 72.

XXVII.

Consensum etiam tacitum tam Domini quam Agnatorum
sufficere, certum est, & ideo si forsitan præsentibus & scientibus
nec tamen contradicentibus ipsis vasallus de alienatione feudi
tractet, consensus intelliguntur, atque ideo alienatio subsistit.
Nam quoties quis contradicendo potest actum impedire, si sit
præsens & taceat, habetur pro consentiente, arg. l. qui ad certum
tempus. 14 ff. locati. l. qui paritur. 18 ff. mandati. Zas in Epitom feud.
part. 9. num. 31. Schrader. de feud. part. 8. cap. 4. num. 2. Curt. Jun.
de feud. part. 4. num. 128. Rittersh. in partit. feud. lib. 2. cap. 3. quest.
9. Diff. Vult. cap. 10. n. 72. in fin. Ruding. lib. 2. var. lect. feud. cap.
43. Hartm. Pist. 2. quest. 7. n. 1.

XXVIII.

Alienare itidem feudum non prohibetur vasallus permit-
tente lege, quod fit per Subinfeudationem & Refutationem. :
Subinfeudatio est actus, quo vasallus feudum, quod habet, abs-
que ullius alterius consensu alii in feudum legitime concedit ;
Germanis est *Äffterlehen* tit. 26. §. beneficium tit. 34. §. similiter lib.
2. F. Vult. de feud. lib. 1. cap. 10. num. 97. & seqq. Soasbec. part. 8.
num. 14. Rittersh. in partit. feud. lib. 2. cap. 2. quest. 12. Schneidvv.
in Epitom feud. part. 3. num. 89. Andreas Khol in tract. de subfeu-
dis, cap. 1.

XXIX.

Hæc ut jure subsistat, tria potissimum attendi oportet. :
Pri-

Primò: Ut subvasallus ad præstationem servitiõrum feudalium sit æquè aptus, ejusdemque conditionis & qualitatis cum vasallo subinfeudante, *tit. 26. §. beneficium lib. 2. F.* Quippe vasallus à Domino requisitus per subvasallum servitia præstare solet; Inidoneum ergo tum Domino obrudi, iniquissimum foret, *tit. 52. §. tit. 54. lib. 2. F.* Andreas Kohl in *diß. 1. r. a. de subfeudis, cap. 2. num. 6.* Hartm. Pistor. *lib. 2. quæst. 44.* Vult. *diß. cap. 10. n. 81.* Borch. *de feud. cap. 8. n. 50.*

XXX.

Secundo: Ut fiat Subinfeudatio iisdem pactionibus ac conditionibus, quibus vasallus ipsemet feudum accepit, *tit. 34. §. 2. vers. profectò. lib. 2. F.* ne forsitan eveniat, ut gratiâ subvasallo factâ, servitiisque ei remissis, vasallus emolumentò pariter & adjumentò destitutus, domino inservire nequeat, Kohl. *diß. cap. 2. num. 17.* Vult. *diß. num. 81.* Hartm. Hartmanni, *2. observ. tit. 54. observ. 37.* Hartman. Pift. *diß. quæst. 44.* Borch. *diß. cap. 8. num. 50.*

XXXI.

Quod si contra factum fuerit, num vasallus feudo privetur? difficilis est disceptatio: Equidem Andreas Kohl *diß. cap. 2. num. 25.* & alii, quos ibidem allegat, asserere haut dubitant, feudum hõc casu non amitti nec Domino aperiri, sed si adjunctæ conditionis illicitæ casus extiterit, ipsam conditionem vitari, salvâ manente subinfeudatione. Veruntamen, quod imò subinfeudatio, quotiescunque sub aliis conditionibus facta fuerit, in totum vitietur & feudum amittatur, ad juris rationem propius accedere videtur, *tit. 34. vers. profectò. §. ibi* Schenck Baro, *lib. 2. F. Schrader. de feud. part. 8. cap. 2. n. 14.*

XXXII.

Tertio: ad legitimam subinfeudationem requiritur, ut fiat sincerè ac sine fraude, *tit. 9. vers. vero. tit. 55. §. callidus. lib. 2. F.* Hinc quæritur: An valeat & subsistat concessio subfeudi, facta alicui pro pecuniâ, an verò censeatur in fraudem legis

peracta? Posterius volunt *Zaf. in Epit. feud. part. 9. n. 15.* Schenck Baro in *tit. 26. §. beneficium. lib. 2. F.* Hartm. Pilt. *lib. 2. quest. 44. num. 5.* Schrader. *de feud. part. 8. cap. 2. num. 25.* Sed rectius existimat Andr. Khol in *diff. cap. 2. num. 54.* Subinfundationem pro pecunia factam omnino subsistere, cum venditio feudi non aliter prohibeatur, quam quatenus feudum simpliciter per illam transfertur in alium, *tit. 52. §. 55. lib. 2. F.* per subinfundationem verò pro pecunia factam non simpliciter transferri, nec servitia Domino feudi debita subtrahi, vel inde apparet, quod hæc per subvasallum Domino præstari queant, *Vid. tit. 3. §. 1. lib. 2. F.*

XXXIII.

Subinfundatione hoc modo factâ, subinvestitus efficitur vasallus non primi Senioris, sed vasalli subinvestientis, *tit. 55. §. 2. vers. illud. lib. 2. F.* Cui consequens est, quod Dominus feudi non possit cogere subvasallum ad servitia sibi præstanda, Rittershus. *in partit. feud. lib. 2. cap. 2. quest. 15.* Kohl in *diff. tract. de subfeudis. cap. 4. num. 38.* Vult. *cap. 10. n. 84.* Curt. Jun. *de feud. part. 4. n. 88.*

XXXIV.

Subinfundari autem possunt feuda tam Regalia, quam Non-regalia, quoniam textus de subinfundatione generaliter loquuntur. At verisimile non est, si ulla hic existeret distinctio inter feuda, juris feudistici autores eam fuisse præterituros. Concedimus tamen, quod per subinfundationem feudi Regalis, dignitas Regalis non transferatur in subvasallum, sed vasallo nihilominus reverà adhuc annexa maneat, ut maximè subvasallus provinciam Comitatus, Ducatus & Marchionatus ex subinfundatione acquisiverit, Rosenthal *de feud. cap. 9. concl. 24. num. 10.* Hunn. *diff. feud. 9. tb. 26.* Diff. Schrader. *part. 4. cap. 1. num. 54.* Kohl *de subfeud. cap. 2. num. 9.*

XXXV.

Refutandi etiam feudum invitò Dominò jus ac potestas vasallo competit, *tit. 38. §. 44. lib. 2. F.* Vult. *de feud. lib. 1. cap. 10. num. 74. §. seqq.* Rittershus. *diff. lib. 2. cap. 2. quest. 20.* Matth. de Afflictis *in preclud. feud. num. 50.* Quod plerique ad.

admittunt in feudò ad nulla cetera servitia determinatò & restrictò: In feudo autem conditionato, id est, eo quod pro certis servitiis concessum est, sunt qui putant, refutationem sine Domini consensu locum sibi non vendicare, quam opinionem nem communem testatur *Zaf. in Epitom. feud. part. 10. num. 86.* At minus probabile hoc videtur, cum textus, refutationem feudi permittentes, generales sint, & indistinctè loquantur, ac præterea ratio planè nulla hujus distinctionis existat, *Vult. dist. cap. 10. num. 76.* *Sonsbec. de feud. part. 12. num. 116.* *Ruding. lib. 2. var. lect. feud. cap. 34.* *Borch. cap. 8. n. 53.* *Zaf. in Epit. feud. part. 10. n. 86. & part. 12. n. 14. & seq.*

XXXVI.

Annum verò vasallus sine consensu agnatorum Domino feudum refutare possit? extra omnem dubitationis aleam positum non est. Existimamus, distinguendum esse inter feudum novum & antiquum, ita, ut ad refutandum prius non requiratur agnatorum consensus: Antiquum verò sive paternum feudum vasallus sine horum approbatione refutare nequeat, ut quibus factò vasalli nihil omninò prejudicari, nec jus ipsis in feudo quæsitum ullatenus minui potest, *tit. 39. in princ. lib. 2. F.* Quapropter si vasallus contra fecerit, ac irrequisitis agnatis proximis feudum antiquum in manus domini refutaverit, sibi soli nocebit, Agnatis non item, *Vult. dist. cap. 10. num. 76. vers. siue autem volente.* *Sonsbec. de feud. part. 12. num. 121.* *Rittershus. dist. cap. 2. quest. 20.* *Wesemb. de feud. cap. 11. n. 11.*

XXXVII.

Porro refutatio feudi duplex est, propria & impropria: Illa, quæ fit Domino, seu in manus Domini, *tit. 14. & tit. 38. lib. 2. F.* Hæc verò descendantibus & agnatis proximis, *tit. 49. lib. 2. F.* *Vult. dist. cap. 10. num. 75. & 77.* *Rittershus. dist. cap. 2. quest. 22.* Et quidem impropriam refutationem quod attinet, potest vasallus descendantibus seu liberis suis tam novum quam antiquum feudum refutare, siquidem in utroq; descendentes pariter succedunt, *tit. 11. lib. 2. F.* *Borch. de feud. cap. 8. num. 55.* *Rittershus. dist. quest. 22.* *Vult. dist. cap. 10. num. 77.*

Agnatis verò antiquum duntaxat feudum refutati potest. Nec tamen omnibus indistinctè, sed proximis solummodò, quippe qui remotioribus exclusis in feudum succedunt, iis ergo vasallus præjudicare haud valet. Subsistit autem subinféudatio proximioribus facta, etiam sine domini consensu, qui invitus agnatos ad successionem admittere cogitur, *tit. 39. lib. 2. F. Rittersh. dict. cap. 2. quest. 23. Vult. dict. num. 77. Borch. dict. cap. 8. num. 56.*

Ex tit. 14. 15. 16. & 17. Aureæ
Bullæ Caroli I V. Imperatoris.

QUÆSTIO I.

Insciis ac inconsultis Electoribus, an Imperator adversus Procures & Status Imperii processum Banni decernere, eosq; proscribere queat?

Tit. 14. A.B.

- Solebant quondam vasalli Dominos suos ita contemnere, ut nec bellum ipsis inferre formidarent, Albert. Crantz. *lib. 8. cap. 21. in Saxon. Fabric. lib. 7. orig. Saxon.* in quo † ne contra præstitum fidelitatis juramentum quicquam agere viderentur, feuda primùm iis refutabant, postea inimicitias denunciabant, eosdemque malitiosè diffidabant, feuda refutata denuò invadentes & occupantes, Dom. Arum. *hic conclus. 1.* † Quod impium facinus judicavit Carol. noster cum insigni perfidia conjunctum, vel saltèm propter beneficii pristini memoriam meritò venerandam, Schenck Baro à Tautenberg *ad cap. un. tit. 38. F. 2.* Noluit ideoque † malitiæ huic ulterius indulgere, triplicem in eos statuens pœnam, Amissionis scilicet feudorum: Infamiæ; & Banni Imperialis, *h. t. 14. vers. Und wer hienwieder thetet, verb. der soll dadurch*

durch so bald die Lehen und Güter verlohren haben Ehrlos/ und in des Reichs Acht und Bann seyn/ ubi Martin. Rume-
 lin. *part. 2. diff. 4. cb. 17.* † Longè severiorem quàm jus feu- 5.
 dale, quod feudi amissione contentum, *cap. un. tit. 5. § 17.*
F. 1. Sed hanc severitatem haut dubiè furentium vasallo-
 rum grassantem licentiam extorsisse, conjicit Arum. *loc. alleg.*
 † Relictis autem prioribus, hæc vice ultimam duntaxat intueri 6.
 liceat, quæ uti gravissima, ita non inconsultò & temere ad hanc
 properandum, nec † contra inauditum ea decernenda, ob- 7.
 stante Capitulatione Cæsarea, §. 30. *verb.* Daß nun hinfüro
 niemand hohes oder niedrigen Standes ungehört in die Acht
 gethan/ bracht oder erkläret werde/ † *Et rursus:* daß dem Be- 8.
 klagten seine Gegenwehr/ vermöge des Landfriedens/ unab-
 brüchlg. † In notoriis equidem delictis, quæ nullo colo- 9.
 re palliari vel excusari possunt, ab executione statim fieri ini-
 tium, nec causæ cognitione nec sententiâ declaratoriâ præ-
 missâ, didicimus ex *confirmat. pac. publ. de Anno 1495. tit. ult.*
Recess. Imper. de anno 1559. §. Damit dann hinfüro. *§ de anno*
1566. §. auff den Fall. *Andr. Gail, lib. 1. observ. 3. num. 9. § lib. 2.*
de pac. publ. cap. 3. num. 16. § 18. Sed quodnam delictum
 verè notorium sit, dictu difficile: † & verendam, ne asse- 10.
 renti notorium eventiat, quod Alexandro Pontifici accidit,
 qui cum nimia indulgentia & amore erga filium naturalem,
 Ducis Urbini & confederatorum defensionem pro enormi-
 bus læsæ majestatis criminibus, & quidem adeò atrocibus re-
 putasset, quæ plane essent inexcusabilia, & nulla tergiverfa-
 tione celari possent, † hoc responsi accepit, si oculo justitiæ 11.
 & veritatis benè adversatur, ne delicta quidem, multo minus
 atrocita aut notoria fuisse, *Jalon, vol. 3. consil. 86. in fin.* Ita ni-
 mirum † quandoque notoria dicuntur, quæ non sunt, & quæ 12.
 dubia pro notoriis habentur, ut Pontifex Alexander III. Ar-
 chiepiscopo Tolerano rescriptit, *cap. consuluit. 1. extr. de appella-*
lat. Et vix quicquam ita est notorium, † quia Reo compe- 13.
 tere possit excusatio aliqua, cum & causa bestialis, levis ac fa-
 tua à dolo aliquem excuset, *ligitur. 12. §. § generaliter. 3. ff. de*
lib. caus. l. inter omnes. 47. §. rectè dictum est. 7. ff. de furt. Nicol.
 Reula,

- Reusn. lib. 7. decis. 2. Jul. Clai. lib. 5. sent. §. ult. quasi. 60. num. 22.
